



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

13. Qualiter vacatio beneficii narrata sit verificanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

cum nostris, sed ad illam partem gratiæ, quæ dantur executoribus (datio enim hæc pars est gratiæ, juxta c. si super gratia, de off. deleg. in 6. cuius contrarium sentire videtur Garc. p. 10. c. 1. n. 70. & 73.) color siquidem ille possessionis non attenditur, nisi in ordine ad hunc effectum, ut mediante citatione possessoris ille excuriatur per executores, priusquam procedatur ad ipsam executionem. Lott. nu. 40. illud namque poterat movere, vel removere Papam in dandis executoribus sub una potius, quam sub aliâ formâ, ne alioqui præcisè jubendo videretur velle de sua possessione iustum possessorem deici. At non potuit movere vel removere in providendo; quia cum provisio fiat ex suppositione vacationis de tempore gratiæ, si suppositio hæc vera, est licet decuriatur color, & sic maneat nuda possessio de facto; utriusque hæc non est tanti, ut videatur movere potuisse Papam, quod minus gratiam faceret. Lott. n. 41. citans Imol. in cit. c. cum nostris, n. 23. a: queita hodie dum coloratæ possessionis mentio omiſſa nullus est considerationis in ordine ad causandam nullitatem gratiæ: patet ex ipsâ formâ executorialium; quæ sive expediuntur sub forma hujus necessitatis expressivâ per clausulam: *amoro quolibet illicito detentore*: quæ clausula implicat mentionem possibili coloratæ possessionis alterius. Lott. n. 44. & 45. citans Rotam in Cöloniensi. Canonico. 20. Maji 1602. Anchar. Calder. & c. in cit. c. cum nostris, quin & ad tollendum omnem scrupulum usu receptum esse, ait Lott. num. 50. ut inter alias clausulas generales, quæ apponuntur in supplicationibus, hæc quoque ingeratur: *ut dicti defuncti, & aliorum quorumcunque provisiones, concessionis, institutiones, collationes & possessiones pro expressis habeantur &c.* quæ clausula vim habet expressivam coloratæ possessionis: sic quoque ait Gonz. gl. 15. §. 1. n. 67. hodie in omnibus literis apostolicis apponi plures clausulas, quæ suppleant defectum dictæ taciturnitatis; nempe clausula: *dummodo non sit alteri jus questum*: nec non clausula: *amoro quolibet illicito detentore*, ac propterea nemo soleat facere mentionem de intrusione alterius.

Questio 13. Qualiter vacatio narrata beneficium sit verificanda?

Respondeo primo: nisi beneficium vacet, ut narratum fuit, gratia nulla est; sive nihil concessum censetur. Lott. l. 3. q. 8. nu. 42. omnia enim narrata habent vim conditionis: *veris existentibus prænaratis*; adeoque nisi verificentur, ruit gratia. Gonz. §. 4. proem. n. 78. sic v. g. si dispositivè narratus modus aliquis reservationis, seu devolutionis, nisi verificetur, gratia est subreptitia; quia Papa fuit deceptus. Gonz. ibid. n. 76. & 77. citans quamplurimos; adeoque etiam, nisi verificetur vacare beneficium, prout narratum: quin & regula certa est, quod omnis narrativa, quamvis alias necessaria non esset, debeat verificari; cum sit pars gratiæ. Gonz. gl. 32. n. 57. citans Crescent. decis. 4. de Concess. præb. Mohed. decis. 8. de rescrip. Roman. cons. 32. nu. 2. Paris. cons. 130. num. 1. quod si tamen non assertivè, sed dubitativè per verba: *forſan, forcaſſis*, aut similia fuisset narrata vacatio, seu aliquis certus modus, non est opus verificare illum; cum enim per tales dictiones nihil affirmetur, non est necessaria verificatio illius, quod per tales dictiones asseritur, juxta l. in substantia. de vulg. & pupill. substituit. Gonz. gl. 32. n. 11. similiter necessaria non est verificatio narrativa, dum ad-

hibita fuit dictio: *asseritur*, v. g. dicendo: *vacavit in tali mense, vel per obitum, prout asseritur*: consideratur enim talis narrativa, ac si facta non fuisset. Gonz. loc. cit. n. 12. & 13. citans Cas. de Grassis. decis. 2. de probationibus. n. 4. Callad. decis. 4. n. 9. tit. cod. & c.

2. Respondeo secundò: vacatio tempore data verificari debet. c. cam. de rescrip. Paris. l. 8. q. 7. n. 146. & l. 12. q. 14. n. 26. citans Ferret. cons. 283. n. 18. Old. & c. Lott. l. 3. q. 8. n. 41.

3. Respondeo tertio: sufficit, vacationem narratam verificare de solo jure, ita ut per hoc vitetur subreptio. Gonz. gl. 15. §. 1. n. 65.

4. Respondeo quarto: sufficit etiam justificare vacationem de facto, eo modo, quo in literis narratur. C. Luca de benef. D. 75. n. 16. dicens hæc esse in beneficiis propositionè receptâ. Tond. p. 3. c. 238. nu. 13. ubi: sufficit impetranti ex causa resignationis, quod modus vacationis expressus fuerit verus de facto, licet non esset verus de jure, eò quod v. g. qui provisus per collatorem Ordinarium, verè resignavit, quamvis jus non habuerit in beneficio resignato, & sic vacatio expressa esset de facto vera; sive ad verificandam narrativam vacationis in gratia beneficii sufficit, illam verificare de solo facto, licet non verificetur de jure. Gonz. gl. 15. §. 1. nu. 49. citans Crescent. decis. 9. de præb. Caputaq. decis. 407. p. 2. & plures Rotæ decis. ac præcipuè 9. num. 10. p. 2. divers. ubi dicitur: ad verificandam narrativam gratiæ sufficere probatio facti carentis adminiculo juris: & decis. 208. n. 2. p. 3. divers. ubi idem dicitur, sed limitatur; nimirum ut secus sit, si ageretur de inferendo perpetuum præjudicium Ecclesiæ, ut in casu de mutando statu Ecclesiæ. Gonz. ibid. n. 50. Garc. p. 11. c. 1. a n. 36. ubi variis Rotæ decisionibus probat, quod ut vi clausulæ generalis: *vel alio quovis modo* consequi quis possit beneficium ex alia vacatione, sufficit vacationis modum dispositivè seu assertivè expressum verificari seu probari, saltem de facto; quamvis idem Garc. num. 80. dicat, existimare se tanquam certum, in collatore Ordinario apponente clausulam: *seu alio quovis modo*: non esse necessarium ullo modo verificare modum expressum, nequidem de facto; eò quod in Ordinario non cadat subreptio, & modus expressus non videatur causa taxationis.

5. Respondeo quinto: quando plures modi vacandi a què dispositivè, sed ex eadem persona alternativè narrantur, satis est alterum, seu unum verificari. Lott. l. 3. q. 8. n. 14. Garc. p. 11. c. 1. n. 68. citans Mascard. concl. 1128. nu. 31. & plures Rotæ decis. in quibus dicitur, quod vacatio narrata non est necessario verificanda, quando gratia non est restricta ad illam, sed narrat etiam aliam vacationem, saltem in genere dicendo: *aut aliâ certo modo*: & ideo sufficit unum verificare, nam in alternis sufficit verificare unum juxta reg. *alternativis*. in 6. dum verò plures modi vacandi narrantur copulativè, omnes debere saltem de facto verificari, tanquam verius asserit Garc. loc. cit. n. 49. ex Aegid. decis. 734.

Questio 14. In specie, qualiter verificanda narratio mensis vacationis?

Respondeo: nisi verificetur, saltem de facto, vacatio in mense narrato capi non potest beneficium, etiam ex clausulis generalibus: *sive alio quovis modo*: Garc. loc. cit. n. 55. juxta decis. Achill. de Grassis. 264. sive 1. de præb. quia tempus adjectum